

sacros usu retinerent, et qui non Iudaei erant ipsi quoque hos libros explorare possent.

Eadem res posteriorem fidei Christianae propagationem adiuvit. Nam Christiani initio ut Iudaei Vetus Testamentum pro libro sacro κατ' ἐξοχήν habebant, et praedicatores fidei Christianae, ubicunque notitia erat Veteris Testamenti, facile habebant exordium. Ita in communibus iudaicis dispersis maior pars orta est communium Christianorum, et versio LXX iam omnibus locis divulgata et nota a Christianis simpliciter recepta est libri sacri ecclesiae loco.

3. Sed postquam ecclesia Christiana versionem LXX recepit, Iudaei brevi ab ea alienati sunt. Quod effectum videtur his praecipue causis.

a) Christiani saepe cum Iudaeis disputantes nonnunquam locos afferebant, quos Iudaei argumento esse negabant. Accusabantur interdum versiones parum accuratae, ut nota illa et in omnibus adversus Iudaeos controversiis repetita vocis $\eta\lambda\mu\eta$ Is. 7 14 per παρθένοσ, quam Christiani suo iure affirmabant ab ipsis Iudaeis esse profectam, Iudaei eodem iure negabant exactam; interdum additamenta a Christianis leviter et simpliciter inserta, ut Ps. 95 (hebr. 96) 10 ad $\delta\ \kappa\acute{\upsilon}\rho\iota\omicron\varsigma\ \acute{\epsilon}\beta\alpha\sigma\acute{\iota}\lambda\epsilon\upsilon\sigma\epsilon\nu$ additum $\acute{\alpha}\pi\omicron\ \xi\acute{\upsilon}\lambda\omicron\upsilon$ i. e. ex cruce, quod quin antiquo textu contineretur Iustinus Martyr adeo non dubitabat, ut Iudaeos serio accusaret malevole id delevisse.¹

b) Veteris Testamenti et canonem et textum exeunte primo p. Chr. n. saeculo a viris doctis Iudaeis definitos et constitutos esse fere constat. A tali sanctione versio LXX, orta aetate priore necdum tam severis normis adstricta, multis in rebus aliena erat; nam libros et partes librorum continebat, quae non inerant canoni Palaestinensi, et interdum alium textum hebraicum interpretabatur. Iam cum normae tum in Palaestina constitutae omnibus Iudaeis disperse habitantibus praeciperentur, auctoritas LXX versionis non potuit non deficere.

c) Ineunte saeculo p. Chr. n. altero ii iudaici librorum sacrorum interpretes docti auctore Akiba praevaluerunt, qui unam quamque litteram textus sacri premebant et ex locis levissimis amplissima et saepe mirabilia concludebant. Hic hoc solum, quia postea iterum respiciendum erit, afferam, quod Akiba particulam casum accusativum designantem $\eta\aleph$, in Gen. 1 1 $\eta\aleph\ \eta\aleph\ \eta\aleph$ et $\eta\aleph\ \eta\aleph$ praecedentem, voce „cum“ interpretans concludebat, Deum cum caelo et terra

¹ cf. mea Septuaginta-Studien 2 (1907) p. 223 f.